



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Romæ, MDCCXVIII**

Canon XXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](#)

17 Denique non adversantur assuetæ litteræ ejusdem Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium committentis receptionem Puellarum Educandarum ad placitum Monialium; Quoniam cùm versemur non in simplici Monasterio pollente libera, & affrænata facultate recipiendi Puellas, quas voluerit, sed bene quidem in Monasterio, dotato, & construeto impensis Nobilium, & pro Puellis Nobilibus, ac Patriis peculiariter destinato, in isto casu verbum *ad Libitum*, seu *ad Placitum* importat arbitrium boni viri regulandum à sua causa justa, & rationabili, ut plerique firmant graves Doctores, inter quos *Abbas in cap. cùm venissent num. 5. de confit. Alex. conf. 214. num. 3. lib. 6. Corneu. conf. 173. num. 5. volum. 3. Barboſ. clausul. 3. num. 8. claus. 6.*

*num. 3. Gratian. cap. 755. num. 5. & in terminis ubi sit data facultas liberè nominandi, seu eligendi, quemquis sibi placuerit, quòd debeat se regulare justa, & rationabili causa, ita ut electio, & nominatio de inhabili sustineri minimè possit, secluso, & reprobato habili, & idoneo, optimè tuetur idem Gratian. cap. 758. num. 23. & seqq.*

18 Et ita obtinui ab eadem Sac. Congregatione Episcoporum, & regularium, quæ die 18. Decembris 1716. non obstantibus rationibus per Dominum meum Advocatum Pitonium superius in contrarium expositis definitivit -- *Recusationem Puella Mazza fuisse irrationalabilem, & ad mentem quæ fuit -- ut scribatur Archiepiscopo, ut Puellæ Nobiles Salernitanæ habentes requisita præferantur exteris.*

## C A N O N X X I X.

INNOCENTIUS III. Rothomagen. Archiepiscopo.

**P**er nostras postulasti literas edoceri utrum Clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, se ipsum, si idoneus est valeat præsentare. Cum igitur nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis; Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nullus se possit ad Personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit, & quibuscumque studiis meritis adjuvetur.

## C O M M E N T A R I U M .

**E**X hoc Canone, qui in Decretalibus legitur in ordine il 26. sequens deducitur conclusio.

PATRONUS NON POTEST SE IPSUM PRÆSENTARE AD BENEFICIUM, SEU ECCLESIA VACANTEM.

Ratio hujus conclusionis est, quia nemo debet se ingerere officio Ecclesiasticæ Prælationis, & quia Patronus cum debeat præsentare idoneum, si se ipsum præsentaret, se ipsum laudaret, ac proinde tamquam ambitiosus esset repellendus à Beneficio; Et quia debet dari distincio inter Præsentantem, & Præsentatum. Ita *Innocent. Abbas, Anania, Burr., Barboſa, Gonzal. bīc, Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 1. quæſt. 8. art. 1. num. 5. Vivian. eodem trāſlat. par. 2. lib. 6. c. 9. num. 1. Ventrigl. in prax. de jurepat. annot. 1. §. 3. num. 66. Pignattell. confut. 54. num. 29. tom. 10. Rubeu. de testam. cap. 76. num. 235. & 253. Bell. lett. disquifit. Cleric. par. 1. de bonis Cleric. §. 11. num. 23. Aſtolin. resol. 58. num. 69. Card. de Luc. de jurepat. difſ. 31. num. 5. Rot. decif. 599. num. 11. par. 4. tom. 3. & decif. 430. n. 38. par. 9. tom. 2. rec.*

3 Hoc idem probatur etiam ex *Textu in cap. cum ad nostram de iſſit.* ubi statuitur, quod is,

is, ad quem spectat collatio Dignitatum se ipsum instituere non possit ibi -- Cum ad nostram, & infra: Illud autem nolumus vos ignorare, quod postquam M. fuit Abbas effectus custodiad de jure non potuit obtinere, quia cum ratione Abbatiae ad ipsum pertineat donatio tam custodia, quam altarum Dignitatum, ac etiam Præbendarum in Ecclesia Parvinen. custodiad ipsam recipere non potuit à se ipso, cùm inter dantem, & recipientem debeat esse distinctio personalis.

Quoad hanc conclusionem sequentes proponuntur Casus.

### ARGUMENTUM.

Patronus an possit nominare se ipsum ad Cappellaniam merè laicalem?

### S U M M A R I U M.

- 1 Patronus potest consentire collationi Beneficii sibi factæ ab Episcopo, & præsentationi sibi factæ ab aliis Compatronis non verò se ipsum ad illud præsentare. Limita, ut num. 4.
- 2 Procurator constitutus à Patrono non potest hunc præsentare.
- 3 Patronus potest se ipsum nominare ad Cappellaniam merè laicalem.
- 4 Patronus, cui competit jus patronatus pastorum si sit unicus potest se ipsum præsentare ad beneficium Ecclesiasticum.

### C A S U S I.

**I**USSIT quidam Testator erigi de propriis bonis Cappellaniam merè laicalem iuncto onere Cappellano celebrandi, aut celebrari faciendi nonnullas Missas in certo Altari, ac reservato jure nominandi Cappellanum favore suorum hæredum; Defuncto ultimo Cappellano; Hæres ejusdem Testatoris nominavit se ipsum ad dictam Cappellaniam. Quæritur an hujusmodi nominatio sustineatur?

1 Cui quæstiōne negativè respondendum videtur; Licet enim Patronus possit consentire collationi beneficii, aut Cappellaniæ sibi factæ ab Episcopo, ac etiam consentire præsentationi sibi factæ ab aliis compatronis, qui consensus auger numerum præsentantium ea ratione quia consentiendo dictæ collationi, aut præsentationi non facit contra præsentem Canonem, dum hujusmodi collatio, aut præsentatio non haberet originem ab ipso Patrono, nec ipse in hoc Casu diceretur se ingerere Ecclesiasticæ Prælationis Oficio, ut docent Abb. num. 3. Butr. Gonzal.

- num. 2. hic Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 1. quæst. 7. & 8. art. 4. Ventrigh. in prax. de jurepat. annot. 1. §. 3. num. 67. Vivian. eodem tract. lib. 6. cap. 9. num. 16. Bellett. disquisit. Cleric. par. 1. de bonis Cleric. §. 11. num. 26. Astolin. resol. 58. num. 71. Tamen non potest se nominare, & præsentare ad Beneficium, seu Cappellaniam, juxta expressam dispositionem hujus Canonis;
- 2 Immò nec Procurator ab eo constitutus potest illum præsentare, quia sic Patronus diceretur præsentare se ipsum, ita dictante illo principio, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Lambertin. de jurepat. lib. 2. par. 1. quæst. 8. art. 9. Barbos. hic nū. 3. Vivian. eodem tract. lib. 6. cap. 9. num. 17. Carens. resol. 10. n. 8.
  - 3 At hoc non obstante contrarium ve- rius de jure procedit; non agitur enim de Cappellania Ecclesiastica, & erecta au- toritate Episcopi; sed agitur de Cappella- nia merè laicali; seu legato Missarum; unde poterit Patronus se ipsum ad illam nominare, imò sibi eam conferre, absque ulla ambitionis nota, cùm nihil sit, quod hoc prohibeat, dum Canon. iste loquens de beneficiis Ecclesiasticis, extendi non debet ad hujusmodi Cappellanias merè laicales. Rot. in Senogallien. Cappellaniæ 16. Aprilis 1696. §. Etenim coram bo. mem. Molines, & resolutum fuit à Sac. Congre- gatione Concilii in Auximana Cappa- llinarum 16. Decembris 1702. ubi proposi- tis dubiis. Primo -- An dictæ Cappa- llaniæ reputari debeant ad instar hæreditatis merè prophane, sive que ita laicales, ut ad illas nominari possint etiam laici, Mulieres, & Pueri -- Secundo -- An successores dd. hæredum, & habentes facultatem nominan- di Cappellanos possint nominare se ipsos -- responsum fuit ad primum -- Affirmativè quoad primam partem, & Negativè quoad secundam -- Ad secundum -- Affirmativè -- Ea verò superius in contrarium allata militant in Beneficiis, seu Cappellaniis 4 Ecclesiasticis; & quidem militant in his Cappellaniis, respectu quarum Patronus habeat

habeat solum juspatronatus activum, etenim si Patronus respectu illarum habeat etiam juspatronatus passivum, & sit unus poterit ad illas seipsum validè presentare; quia presentatio haec non dicetur haberi originem à se ipso, sed ab ipso met Fundatore, qui eum ad illas vocavit. Mans. consultat. 109. num. 15. tom. 2.

## ARGUMENTUM.

An Patronus possit presentare se ipsum per viam precum ad Beneficium Ecclesiasticum?

## SUMMARIUM.

- 1 An presentare se ipsum per viam precum sit simoniacum, & num. 3.
- 2 Patronus potest presentare se ipsum per viam precum; imo & ejus Procurator potest illumita presentare.

## CASUS II.

**Q**uæro in hoc Casu an Patronus presentare possit se ipsum per viam precum ad Beneficium Ecclesiasticum.

- 1 Videtur dicendum, quò non possit Patronus per viam precum presentare se ipsum ad Beneficium Ecclesiasticum, seu supplicare Episcopum ut sibi conferat beneficium; hoc enim esset committere simoniam, & conferre aliquid spirituale pro temporali, nimirum beneficium intuitu precum, quod dici non potest, ut innuere videtur *Glossa in cap. tuam de etat. & qualit. verb. nullum prorsus ibi -- Non enim preces carnales debet respicere qui est Ordinator, sed tantum merita, & providentiam ordinandi;* & ideo nota quòd cùm quis eligitur, vel ordinatur, aut suis precibus interventientibus, aut alienis; Si

suis, dicunt quidam, & Hugo cum eis, quod quantumcumque sit idoneus simonia committitur --

- 2 Verum hoc nou obstante censeo Patronum, qui vellet suum de Jurepatronatus adipisci Beneficium, posse procedere per viam deprecationis, & supplicationis factæ Episcopo ut sibi conferat Beneficium. Abb. num. 2. Gonzal. num. 2. Barbos. num. 5. hic Lambertin. de jurepat.lib. 2. par. 1. quæst. 8. art. 3. Rot. decis. 20. nu. 3. coram Celso, & decis. 363. num. 10. par. 9. & decis. 141. num. 5. par. 14. rec. Tondut. quæst. benef. par. 2. cap. 4. §. 9. n. 29. tom. 1. Rot. in Derthonen. Beneficii S. Catharine 2. Aprilis 1708. §. Juspatronatus coram Polignac. & in Majoricen. Beneficii 1. Febr. 1709. §. Nullimodè adversante cor. R.P.D. Falconerio, & in Granaten. Cappellaniæ 27. Novembris 1713. §. Ea vivissima cor. eodem, imo & ejus Procurator potest presentare Patronum per viam precum, ut fuit resolutum à Sac. Congregatione Concilii in Faventina presentationis 10. Junii 1679. quo casu potest Ordinarius illum gratificando admittere; sed tamen ad id non tenetur ex debito. Rot. dec. 430. n. 40. par. 9. tom. 2. rec.

- 3 Nec ex hoc committitur ulla simonia, quia non presumitur Episcopus in conferendo beneficium Patrono supplicant pro se ipso se mouere ex ejus precibus, sed potius se mouere ob uniformandum se presumptæ menti fundatoris, qui sicuti præ aliis ipsum Patronum prædilexit in reservatione jurispatronatus activi, ita justum, & congruum est, quod Episcopus gratificet eumdem Patronum, illumque aliis præferat in collatione beneficii, quando ipse Patronus non explet formalem presentationem favore alterius, sed supplicat pro se ipso, juxta superiùs firmata Can. IX. X. XI. Caf. VIII. n. 8.

CANON